

veniat verbo opere ingenio vel cautela. Si quis autem eandem infringere praesumpserit etc. In quorum omnium et singulorum testimonium et robur sufficiens sigillum nostrum autenticum una cum sigillis praepositi et conventus praedictorum praesentibus est appensum. Datum et actum Mersburg sub anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo feria secunda proxima post dominicam secundam in ecclesia dei Reminiscere qua cantatur.

Nach dem Registrum copiarum fol. 24 im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

No. 173. 1392. 29. Oct.

*P. Bonifacius IX. beauftragt den Decan der Naumburger Kirche, auf Grund der gegen einen Rechtsspruch des Decans der Halberstädter Kirche in einer Klagsache des Klosters auf dem Petersberge bei Halle gegen das Thomaskloster von dem letzteren eingewendeten Appellation ein weiteres Verfahren unter den Parteien zu eröffnen.*

Bonifatius episcopus servus servorum dei. Dilecto filio . . decano ecclesiae Nuemburgensis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii . . praepositus et conventus monasterii sancti Thomae in Liptzk per praepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Merseburgensis diocesis petitione monstrarunt, quod olim . . praepositus et conventus monasterii Montis sereni per praepositum soliti gubernari dicti ordinis Magdeburgensis diocesis falso asserentes, quod dicti praepositus et conventus monasterii in Liptzk super quibusdam pecuniarum summis terris possessionibus et rebus aliis ad eos spectantibus iniuriabantur eisdem, apostolicas super his contra eosdem praepositum et conventum monasterii in Liptzk ad . . decanum ecclesiae sanctae Mariae Halberstadensis in communi forma litteras impetrarunt, falsoque praetendentes, quod dicti praepositus et conventus monasterii in Liptzk tempore impetrationis dictarum litterarum et tunc etiam quasdam terras et possessiones tunc expressas in dicta Merseburgensi diocesi consistentes et ad ipsos praepositum et conventum monasterii Montis sereni iusto titulo pertinentes contra iustitiam occupabant et detinebant indebite occupatas, et quod eisdem praeposito et conventui monasterii Montis sereni nonnullas pecuniarum summas et res alias tunc expressas ex causa legitima tunc etiam expressa dare et solvere legitime tenebantur, eosdem praepositum et conventum monasterii in Liptzk super hoc petendo ipsos condemnari et compelli ad dandum et solvendum eis pecuniarum summas ac alias res et dimittendum eis terras possessiones huiusmodi coram eodem decano fecerunt ad iudicium evocari. Et tandem postquam in causa huiusmodi coram eodem decano inter partes ipsas ad nonnullos actus processum fuerat, pro parte dictorum praepositi et conventus monasterii in Liptzk sentientium ab eodem decano indebite se gravari fuit ad sedem apostolicam appellatum, cui quidem appellationi praefatus decanus detulit ob reverentiam dictae sedis. Quo circa discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis quod iustum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter